

1575

quibus opportuna tabernacula partim publico, partim privatum ære construxit. Incolarum militiam pene intermortuam excitavit, ordinesque militares instituit. Remigum numerum ad classem instruendam conscripsit; plebem, aliosque vel abjectæ sortis, vel modicæ conditionis homines a potentiorum vi atque imperio vindicavit. Nihil quod vel ad securitatem, vel ad regni decus attineret, fuit, cui ipse acri ingenio, atque magnis rebus gerendis assueto non provideret. Volumen, in quo leges ab se conditæ continebantur, evulgavit, quæ ut perpetuo ad Cretæ regnum administrandum servarentur, Senatus postea decreto sancitæ & confirmatæ sunt.

Dum iis in rebus Veneti versantur, animum ad alias solitudines Philippi Regis ministri attraxere, qui infestum mare reddere, quæ semper Reipublicæ curæ fuerat, navigandi adempta securitate, conabantur. Namque navem, Crucem nuncupatam, pretiosis mercibus, bellicoque ad insularum orientis præsidium onustam apparatu, Venetiis digressam, ad Cephallenem binæ rostratae triremes, Marchionis Sanctæ Crucis una, Armæ Toletanae altera, impetu facta, ceperunt, avaritiaque ac libidine religionis velo obtecta, quod in ea Judæorum mercimonia invenisse, ac multa sacris vetita legibus infidelium in regiones conveherentur, interceptisse affirmabant. Hoc nuntio vehementer perturbati Patres, intolerandum arbitrabantur, eo hominum audaciam proiectam fuisse, ut Veneta navigia invaderent, & impune occuparent; quæ liberrime quacumque mediterraneum mare diffunditur, navigare ac mobilium instar arcium ingentes cuiusvis hominum generis divitias atque opes suo sinu complecti consueverant; cum præsertim Senatus severissimis legibus atque edictis in eos, qui in infidelium regiones vetita inferrent, animadverteret. Itaque Austriaco, qui tunc Neapoli erat, literas scribeendas senatus consulo Patres censuere, quibus illata damna, naves interceptas, mercimonia direpta, conquerebantur; pro amicitia jure prædas restitui, noxiosque plecti, ne quid ejusmodi in posterum accideret, flagitabant. Hieronymus quoque Lippomanus ad eum est legatus, qui prosperum adventum in Italiam gratularetur; de auxiliis, maritimisque opibus per regium oratorem Reipublicæ oblatis gratias ageret; demum de iis, quæ in navem Crucem

Hierpanida-
mna Vene-
torum navi-
giis infes-
runt, Cru-
cem navem
copiunt.

Hieronymus
Lippoma-
nus ad Jo-
annem Au-
striacum le-
gatus.

ge-